DISPUTATIO MEDICA

QUÆDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS.

AUCTORE THOMA GARDE.

PRÆFANDA.

Quum pulmones ad vitam adeo necessarii sunt, (nimirum, quorum actione spiritum trahimus et emittimus, et quæ actio non etiam per exiguum tempus suspendi potest sine magno vitae discrimine,) morbi quibus obnoxii sunt eximiam sibi attentionem nunquam non vindicant. Hos inter, nullus forsan dignior videtur, de quo (summos medicinæ honores ambituri) pauca scribamus, quam eorum inflammatio, cui medici nomen Pneumoniam imposuerunt, sæpe aliorum morborum genitricem, celeriterque salutem

vel mortem ægrotantibus allaturam. Nullo morbo urgente maturius agendum; nam ad exitum infelicem aliquando tam rapide festinat, ut, nisi medicus summa ope obviam eat, ægrum de medio tollat ante quintum diem ab initio ejus, et ea remedia quæ initio inflammationem devicissent, versus finem sine commodo exhiberi solent; sed tempus per quod hic morbus cursum absolvere consuet, nunc brevius, nunc longius est; mortem tamen raro affert priusquam dies sex vel octo perstiterit.

Inflammationi pneumonicæ, prout sedem in pleura costali, vel in pleura, pulmoni ipsi circumjecta, telaque reticulata ejusdem propria, figerit, auctores medici nomina diversa dederunt, et illam Pleuritidem, hanc vero Peripneumoniam appellarunt; sed has distinctiones recte adhiberi non opinamur, quia omnes partes supra memorata nexum tam intimum inter se habent, ut inflammatio, vix unam earum adoriri, sed non ad alteram pertinere possit: hac distinctione igitur dimissa, in animo est quam paucissimis hunc morbum tractare sub nomine communi Pneumonia.

DE SIGNIS.

Pneumonia, ut solet omnis fere partium interiorum inflammatio, ex febre incipere consuevit; membra languore et horrore afficiuntur; paulo postea cutis ardet et inarescit; pulsus arteriarum duri, validi et frequentes evadunt; his malis, plerumque post paucas ab initio adversæ valetudinis horas, superveniunt, dolor in aliqua thoracis parte, difficultas spirandi et tussis. Interdum, at raro, ut a Cleghornio accipimus, dolor, nullis prænunciis signis, aliquam pectoris partem aggreditur, et febris secuta est, arteriarumque pulsus nonnunquam sunt solito tardiores. Dolor, quandocunque superveniat, uni neutiquam parti semper inhæret; modo et sæpius quidem dolet dextrum tantum latus, sed cum acutus et pungens sit minus vagatur, et uni sedi quasi puncto affigitur; hebetior contra in pulmonem fere universum incumbere videtur, quo fit ut dolor obtusus telam reticulatam hujus propriam inflammatam denunciare habeatur; aliquando dolor costæ sextæ vel septimæ fere insidet, et inde ad os pectoris, claviculam aut scapulam fertur; aliquando ab uno latere

ad alterum transmigrat, semper inspiratione et ægro in latus affectum cubante acerbior fit, sed vix manu premente exasperatur. Dum morbus procedit, arteriæ adhuc validius, durius et crebrius micant, cutis calore magno afficitur, facies turget et rubescit, omnes secretiones et excretiones fere supprimuntur, tussis urget, rauca, dolentissima, et initio morbi plerumque arida, lingua, sorde fusca aut flava fœdatur et uret, urina rufa evadit, sitis maxima exercet, et æger nunc magno periculo versatur; respiratio perpetuo difficilis, sed maxime dum spiritus ducitur molesta, sæpe non nisi trunco corporis erecto exerceri potest, et simul inter spirandum strepitus editur; vultus, sanguine per pulmonem ægre translato, tumet et purpureus fit, cutis magis calet, arteriæque eo concitantur, ut centies vel centies et quinquagies quaque sextima horæ parte saliant, anxietas gravissima miserum angit, paulo postea facies et cervix sudant, motus arteriarum languidi fiunt, et infelix delirare incipit, artus frigent et tremunt, et æger supinus cubat, continenterque ad imam lecti partem dilabitur; sphincteres non officio funguntur, et urina et stercus animi injussu ef-

fluunt; denique, sanguine intra cellulas pulmonis effuso, tantæ ærumnæ, morte exoptanda, finiuntur. Haec sunt symptomata quae in mortem desinunt, sed interdum, quamvis raro admodum, accidit ut morbus sponte cedat, arteriarum pulsus minus crebri et eodem tempore molliores evadunt, febris symptomata leniora fiunt, et respiratio facilis, tussis urgere cessat, nec amplius dolorem intendit, et omnibus signis paulatim evanescentibus, æger denique pristinam corporis integritatem recipit.

Talia sunt signa hujus morbi frequentiora; sed sunt causæ diversæ tam externæ quam prædisponentes quæ huic morbo varie modum adhibent; sed hujus dissertationis longius fines transirem, si has omnes enumerarem; forsitan sat erit præcipuas notare. Si pneumonia cum febre typhode societur, debilitas ejusmodi sæpe inducitur, ut æger non solum generalem sanguinis detractionem non bene ferat, sed exempla in tabulas relata fuerunt in quibus etiam topica, per scarificationes, sanguinis detractio, in hoc morbo, tam pertinax et prodiga evasit, ut nullo modo coerceri poterit usque ad ægri mortem. Si pneumonia habitum strumosum aggrediatur,

omnes notæ inflammationis lentae sunt, paulatimque et quasi per insidias obrepunt, diutius trahunt, et tandem in sputum puris desinunt, ægerque, tabe confectus, absumitur.

DE FINIBUS.

Pneumonia, ut omnis fere alia inflammatio, modo in resolutionem, modo in suppurationem desinit; interdum vel ipso sanguine, vel parte ejus serosa inter vesiculas spiritales aut cavum pectoris effuso, homo derepente strangulatur; vel, remediis nil valentibus, gangræna lethalis, sed perraro exoritur.

Resolutio.—Hic finis prae aliis semper exoptandus, et hunc efficit vel natura ipsa, vel remedia ineunte morbo perite ministrata. Cum pneumonia sponte in resolutionem desinat, signa paulatim mitescunt; pituita imprimis parcior et coloris expers, postea copiosior, sæpe flavescens, nec raro cum sanguine mista, tussiendo exscreatur; pulsus fit tardior et mollior, vultus minus anxius, respiratio facilius exercetur, lingua madescit, urina fit copiosa et sedimentum lateritium deponit, sudor tepidus et ubi-

que æqualis erumpit, et saepe alvus soluta et biliosa fit; denique, omnia signa molesta paulatim evanescunt.

Suppuratio.—Cum in suppurationem hic morbus desinat, solet accidere inter diem sextum et duodecimum ab initio; sed nihil de tempore quo pulmo inflammatus suppurat perpetuum est; nisi aut morbo subvenerit medicina, aut tussis pituitam moliatur, suppuratio septimo fere die incipit; sed pars inflammata, sputo salutari, supra memorato, maturius accidente, multo serius suppurat. Cum primum suppuratio accidat, identidem artus plus minusve inhorrescunt, arteriarum ictus plerumque, sed minime semper, crebri, perstantes, molliores eveniunt, sed cætera mala nihildum se remittunt, nisi quod dolor lenior fit; respiratio est potius difficilis, sed dolor ei non comitatur. Si abscessus demum dirumpatur, et pus in vesiculas spiritales profluat, sequitur ut homo modo derepente stranguletur, modo, pure extussito, revalescat; si pus in cavum pectoris erumpat, tunc mali genus, Empyema nominatum, supervenit. Hoc subesse judicamus, si, præter vomicae signa, quæ utrique sunt communia, pectore exagi-

tato, humor fluctuare sentiatur; si æger nisi corpore erecto anhelare non possit, si eidem in latus sanum cubanti mala omnia increscant; si demum latus affectum quadam ex parte promineat, nobis judicandum est eum admodum periclitari quem haec signa aggrediuntur.

Effusio.—Quando pneumoniam nec natura tollit, nec remedia solvunt, ad hunc prae aliis exitum abire consuevit; vel cruor vel tenuis latex, eademve simul mista in vesiculas spiritales aut pectoris cavum profunduntur, vel in telam pulmonis reticulatam; si cruor in telam reticulatam effunditur, morbus vocatur Ecchymosis; si latex tenuis, Anasarca pulmonum; si denuo hic latex pleuram costalem inter et eam pulmonis propriam effundatur, omnes notae hydrothoracis propriae nascuntur, et infelix in praecipiti versatur; pessimum omnium est cruorem aut pituitam cruentam vesiculas antea dictas, animae scilicet meatus, opplere, quod eventum insigniunt respiratio difficillima, languida, haud sine strepitu, labia cærulea, artus frigentes, oculi sanguine turgentes et prominentes, vultus intumescens, et caput acerbe dolens. Hæc morbum in extremo esse prædicant; pulsus debi-

lissimi evadunt et abnormes, frons sudoribus gelidis madescit, ægrum summa anxietas et sensus oppressionis circa præcordia angunt, coma accedit, et tandem fato fungitur.

Gangræna.—Interdum, sed raro morbus quem tracto in gangrænam desinit, quod accidisse medicus cognoscat, dolore subito cessante, arteriis creberrime, imbecillime, inæqualiterque micantibus, et aliis debilitatis signis, vultu derepente collapso, faciei et oculorum languore, vel anxietatis expressione haud verbis pingenda, delirio, et subsultu tendinum. Præter hæc, anima foetet, sputum, ex pure et sanguine nigro constans, tussiendo ejicitur, extrema frigent, et tandem mors, ipsam inter et vitam, hanc controversiam dirimit.

DE CAUSIS.

Causæ prædisponentes sunt, imprimis, habitus ille corporis quo constat diathesis phlogistica, ætas media vel forsan provectior, et ea conditio quâ, lenibus etiam stimulis admotis, fibræ musculosæ se justo vehementius contrahunt; scilicet, hæc faciunt ut aliquis opportunior sit;

sed nulla ætas aut sexus ab hoc morbo prorsus immunis est.

Causæ excitantes sunt, frigus humore conjunctum superficiei corporis applicatum, dum simul aër, iisdem imbutus, in pulmones ipsos adducitur; mutationes cœli subitæ, quo fit ut per hiemem et ver, (scilicet in quibus varietates tempestatis maxime frequentes sunt,) genus humanum pectoris inflammationibus plus afficiatur quam per alia anni tempora; huc accedunt omnia quæ sanguinis impetum adaugent, ut motus quidam animi excitantes, præsertim iracundia, exercitatio vehemens, spiritus ardentis abusus, et his similia: quinetiam, exercitatio pulmonis valida, aut vocitando, currendo, vel voce vel tibia canendo; omnia cum anima in canales spiritales accepta quæ pulmones irritant, ut pulveres varii generis, vapores acres, ut gas acidum muriaticum, gas acidum sulphurosum, gas oxidum nitricum, ammonia, chlorinum, &c. inter causas excitantes sunt habenda. Alii morbi pneumoniam sæpe excitant, vel sibi adjungunt, veluti exanthemata suppressa, præsertim rubeola et variola, catarrhus, sæpe scrophula. Deni-

que, injuriæ pulmonibus, vi externa illatæ, ut causæ excitantes merito recensentur.

Causa proxima pneumoniæ est inflammatio pleuræ costalis, aut pleuræ pulmonalis et telæ hujus reticulatæ, aut omnium earum; sed cum inflammationis causa obscuritate involuta lateat, varias opiniones quas medici ediderunt non mihi consilium est explorare, sed hoc solum animadvertam, inter inflammationem partis acutam, actionem cordis et arteriarum grandiorum incitari, vasorum vero suorum sedari. Non possum melius agere quam si recitarem Homei de hac re opinionem: "Causa hujus morbi," inquit, "est obstructio inflammatoria "in finibus arteriæ pulmonalis aut bronchialis "aut utriusque simul; hanc certissime declarant causæ remotæ, symptomata, et cadaverum inspectio *."

DE DIAGNOSI.

Inter morbos quos pneumonia haud parum simulat, gastritis, hepatitis, carditis, hydrothorax, et pleurodyne maxime attentionem vindi-

* Vide Francisc. Hom. Princip. Medicin.

cant; quid vero inter hos et pneumoniam interest, nunc quam brevissime explicabo.

Gastritis.—Inflammatio ventriculi denunciatur dolore sævo, quem ingesta et tactus quamvis levissimus exasperant; vomitu frequenti præsertim post partum; magna virium prostratione, cum pulsu exili, duro et celeri, interdum delirio, saepe singultu et extremis frigidis; his igitur in animo habitis, nullus medicorum quisquam, nisi incuriosus osiosusve sit rerum observator, errare poterit.

Hepatitis.—Quem inflammatio jecinoris torquet, ei insidet dolor hypochondrio dextro ad claviculam et humerum ejusdem lateris tendens, pressura et ægro in latus sanum cubante, sed non semper inspiratione plena, auctus; dum alias pneumonico, dolor in latere alterutro existat, non ad claviculam humerumve tendit, non pressurâ, sed ægro in latus affectum cubante et inspiratione plena, augetur. In hepatitide sæpe adsunt singultus et vomitus, nonnunquam etiam cutis flavum colorem acquirit, quæ signa pneumoniæ non comitantur; præter hæc, denique, jecinore inflammato, tussis arida est nec inspirando movetur aut intenditur, pulmone

autem inflammato tussis inspirationem inter, et præsertim si aër frigidus sit et humidus, semper ingravescit.

Carditis.—Cui cordis membranæ inflammantur, ei saepe accedunt syncope et palpitatio vehemens, pulsus est durus, frequens et maxime abnormis; quinetiam adsunt pallor faciei, singultus et angoris acutissimi sensus ad præcordia relatus, quæ signa omnino diagnosin notabunt.

Hydrothorax ex pneumonia facile dignoscitur, illi enim morbo nec febris comitatur ut huic, nec dolor acutus; dum contra in hoc non solum adsunt anasarca manuum et pedum et urinæ paucitas, sed etiam corpore huc et illuc leniter moto, aquæ in pectore fluctuatio attentis auribus facile audiri possit.

Pleurodyne.—Quem rheumatismus, pectoris musculis infestus, torquet, ei accedit dolor non uni sedi infixus, sed tractum fibrarum musculorum sequens, pressura et corpore sinistrorsum aut dextrorsum inclinato, auctus; desunt omnino tussis et sputum, partes affectæ externe tument et rubescunt; febre sublatâ, dolores restant, et eodem tempore artus occupant.

PROGNOSIS.

QUONIAM huic morbo plus minusve periculi plerumque comitatur, rarissimum est ut ægro salutem integram promittere possimus, igitur restat signa ostendere quæ spem periculumve præsagiunt. Si initio dolor uni puncto minus inhæreat, et simul lenior sit, si tussis blandior cum facili materiei coctæ, albidæ atque crassæ screatu, nec sitis urgeat, et spirandi difficultas eodem tempore mitior evadat, ægrum vix periclitari judicemus; contra, si medicamenta septimum post diem nihil profecerint, et morbus ultra diem decimum quartum perstaret, hæc, inter signa pessimi ominis merito recensentur; et etiam tussis quæ dolorem plurimum auget, et magna difficultas spirandi nunquam periculo vacant: præter hæc, si facies tumida et livida fiat, si æger post sputum antea copiosum subito expuere desinat, et dum in lectum cubat difficillime spiret, si caput vel collum insudet dum nullus alibi sudor erumpit, ægrum in summo periculo versari scire licebit; sed si corpus, vel medicamentis, vel sponte, totum æqualiter sudet, et urina copiosa, sedimentum

crassum deponens, excernatur, si eodem tempore vel hemorrhois epistaxisve erumperet, et alvus cita accedat, felicem morbi eventum propere expectemus.

DE MEDENDI RATIONE.

Unum consilium exequendum curationem hujus morbi amplectitur, et id est quam primum inflammationem subigere; et, ut mihi videtur, hoc consilium tribus modis efficiendum est;—Primo, in toto corpore et præsertim pulmonibus sanguinis impetum sedando;—Secundo, omnia irritamenta evitando, et signa maxime urgentia mitigando;—Tertio, expectorationem movendo. Hos in fines oportebit sanguinem quam primum nec parce detrahere,—cuti summae, parti dolenti quam proximum, exulcerantia applicare,—alvum purgare,—sputum et sudorem movere,—et remediis sedantibus uti. Igitur de his singulis in ordine breviter disseram.

De sanguinis missione.—Inter remedia quæ sanguinis impetum frangunt, nullum tanta vi pollet, quanta sanguinis detractio, et quo recentior morbus, eo tutius et majore cum fructu

venam secare liceat; sed etiam in provectiore morbi gradu, nil vetat quo minus tali remedio utamur, modo nulla suppurationis signa adfuerint. Mature igitur vena brachii incidenda est, incisione largissima facta, quoniam non alius existit morbus qui hoc remedium melius fert. Quoad quantitatem sanguinis detrahendam, unciæ xii, xx, vel xxx amplius minusve eliciendæ sunt, prout vires, sexus, ætas, corporis indoles et signa postulent, idemque iterum iterumve faciendum est si signa postulare videantur; et plerumque forsan sanguis adhuc mittendus est, vel ejus missio repetenda, donec difficultas spirandi et dolor conquieverint; si hoc tamen non evenerit, aliquando ad syncopen usque cum utilitate detrahitur. Pneumonia, vena semel incisa, raro tollitur; hinc si iterum dolor exarserit arteriæve concitatæ fuerint, vel si dolor præsertim inspiratione plena augeatur, iterum quamprimum mittatur sanguis libere donec signa molesta ut antea decesserint. Quamvis autem hoc remedium tanta virtute polleat, tamen, hoc quoque ut memoria retineatur, dignissimum opinor, certos esse fines, quos ultra, si temere vel nimia copia sanguis eliceretur, vires pessime eo

convelluntur, ut nulla arte opeve, novari possint; unde oriatur vel dirus hydrops, vel spirandi difficultas exacerbata, signis simul inflammationis fugatis; vel, expectoratio difficilis, cum anasarca extremitatum inferiorum, et alia pessimæ valetudinis signa: neque obliviscendum est, quod, quo citius abstrahatur sanguis, effectum eo feliciorem promittet, nam sanguinis copia exigua celerrime educta plus operæ confert ad inflammationem subigendam, quam duplo triplove amplior, tardius elicita; hinc ex grandiore vulnere semper magno fructu educitur, et certe non dubito quin, si citius effunderetur sanguis per hiatum patentiorem, pulmonis inflammatio venis minus vacuefactis quam apud hodiernos medicos, cedere possit. Si signa venam brachii iterum secari non permittant, dolor autem sævire haud desinat, non raro utilissimum erit vel cucurbitula cruenta vel hirudinibus sanguinem ex parte, dolentibus quam proxima, semel atque iterum detrahere; sanguis enim sic detractus haud parum promovet inflammationis resolutionem, dum ægrum minus labefactat. Hæc de eo potenti remedio mihi visum est disserere, quippe quo omnium prae-

cipuo freti in pneumonia ægris succurrere solemus.

Exulcerantia.—Venis jam satis depletis, exulceratio tutum et haud raro validum præsidium est, et præsertim si, omnibus inflammationis signis jam subactis, adhuc perstaret doloris vel ponderis sensus ; epispastica enim sæpe adeo prosunt, ut ulteriorem sanguinis detractionem supersedeant, et morbus levior eorum auxilio nonnunquam omnino fugatus est ; quod si typhus adsit, hoc genus auxilii nocebit.

Purgatio alvi.—Per totum morbi decursum alvus purganda est, initio submuriate hydrargyri et radice convolvuli jalapæ, deinde salibus mediis ; nam purgantia, superquam quod irritationem sedant, etiam inflammationem subigere multum conducunt, pulmo enim satis intestino crasso distat, ut medicamenta, quæ humores ad hoc dirigant, illius vasa quodammodo vacuefaciant ; et si evenerit ut sanguis ex aliqua causa detrahi non possit in quantitate qua decet, hujus vice purgantia acriora maxime perfunguntur, his enim præ omnibus vasa citissime deplentur.

Sudatio.—Numne medicamentis eliciendus sit

sudor, graviter olim medici disputabant; sed nunc omnes concordant, sudorem his adjuvare licere, iis quæ stimulant et calefaciunt omissis, et præsertim cum sudor per totum corpus sponte erumperit, et signa mitiora fecerit; sed sudores lenti partibus quibusdam tantum erumpentes, et qui non levant spirandi difficultatem, nunquam incitandi sunt. Sudores salutiferi, qui post signorum remissionem toto corpore sua sponte oriuntur, aliquandiu evocandi sunt diluentibus potulentis, quibuscum commixti sunt, dulcacidorum fructuum succi, vel etiam citrate potassæ, vel citrate acetiteve ammoniæ; sed sudorifica acriora, ut nimis stimulantia, evitari debent, quia non temperant, sed contra augent sanguinis impetum. Eadem remedia sputum æque ac sudorem moliuntur; quicquid scilicet cutis halitum elicit, simul facit ut intima canalium animæ membrana plus laticis excernat; igitur, præter remedia quæ supra dixi, vinum tartratis antimonii ad g^{tt} xx vel xxv, vel acetum scillæ maritimæ, vel aqua acetatis ammoniæ, adhiberi debent; sed ex remediis sputi moventibus, nullum alium, ut mihi videtur, vi tanta pollet, quanta inhalatio vaporis

aquæ fervidæ. Multum profuisset pediluvium adhibere; nam hoc remedium sanguinem deorsum derivans, pulmones salutariter exonerat, genus nervosum pacat, et somnum conciliat. Præter jam proposita, tussis molesta mistura quavis mucilaginosa mitigabitur. Quanquam nihil potentius quam opium tussim atque dolorem sedat, inflammatio in primo morbi gradu prohibet ne ad hoc confugiamus. Sed inflammatione jam inclinata per debitas evacuationes, hoc medicamentum, præparatis ex antimonio conjunctum, contra tussim et vigiliam efficacissimum remedium præbet. Cum ex aliqua causa, ratione corporis pendente, venam secare non amplius liceat, dolor tamen, arteriæ concitatæ, et spirandi difficultas, inflammationem non adhuc resolutam ostenderint, foliæ digitalis purpureæ multum fortasse ad sanationem pneumoniæ conducunt, aliis auxiliis juvatæ; nam hæc planta actionem cordis et arteriarum mirabiliter cohibet, et dolorem et tussis violentiam levat. Denique, ratio regiminis, antiphlogistici dicti, quæ nimirum omnia stimulantia arceat, quantum fieri possit, adhibenda est.

FINIS.